

vit nos Deus. Sed in hoc loco videtur istud exemplum contrarium. Quid enim attinet hoc exemplum monacho, si discere vult, ut discedat, cum Paulus apostolus de matrimonio dicat, quod constat ex fideli et infideli persona? Non est contrarium, quia sicut ille conjunctus est mulieri vel viro, ita et iste monachus quasi mulieri et viro conjunctus est, cum corpori monasterii se sociavit; deinde, sicut ille discedit, quia infidelis est, ita et iste monachus infidelis est, cum professionis suae transgressor existit. Et reddit causam, quare, cum dicit: *ne una ovis morbida totum gregem contagiet*, i. e. contaminet. Istud exemplum notum est, quia talis est infirmitas in una ove, quae totum gregem coinquinat et ad perniciem ducit - ac si diceret aliis verbis: Ideo dico discedere a corpore monasterii illum, qui ita infirmus est, ut istis modis sanari non valeat, ne ejus miseria alii pereant capiendo ab eo malum exemplum, sicut grex solet perire ex contagione morbidae ovis. De hac ove morbida, quae totum gregem suo tactu contaminat, ut ante occidatur, etiam Virgilius dicit in tertio libro (v. 464-473) Georgicon: *Quam procul... ab origine gentem.* Verumtamen sciendum est, quia istud, quod dicit *Infidelis, si discedit, discedat*, duobus modis intelligitur, sive ad illum, qui vult exire et ductus est per sex gradus, sive etiam ad illum, qui per sex gradus ductus non emendaverit et [tamen] quamvis nolens voluntarie exire, projicitur, eo quod iste talis, quamvis corpore non discessit, tamen mente discessit; unde sicut discessit mente, discedat etiam et corpore.

Cap. XXIX.

SI DEBEANT ITERUM RECIPI FRATRES EXEUNTES DE
MONASTERIO.

Frater, qui proprio vitio egreditur aut projicitur de monasterio, si reverti voluerit, spondeat prius omnem emendationem vitii, pro quo egressus est, et sic in ultimo gradu recipiatur, ut ex hoc ejus humilitas comprobetur. Quod si denuo exierit usque tertio ita recipiatur, jam vero postea sciens,¹⁾

¹⁾ sciat (?)